

portionem. Nam quando duo numeri adinuicem proportionati ponuntur ad regulam additionis uel subtractionis proportio num (ut infra dicam suo loco), ponitur etiam unus eorum superne, & alter ponitur inferne, & non debet uirgula interponi, ut intelligas esse duos numeros, non unum. At Minutia cum numeratore & suo denominatore proprie est unus numerus, ut iam dicam.

Numerator Minutiæ, est qui numerat partes unius, alicuius rei integræ, diuisæ in partes.

Denominator Minutiæ, est qui denominat partes numeratas à numeratore, ipse autem nihil numerat.

Vnde sicut, dum dico 3 gr. 3 est numerus, & gr. est denominatio ipsius numeri, nihil numerās, sed solummodo denominās. Sic dum dico $\frac{3}{4}$. tunc 3 est numerus, & 4 est denominatio eius, & non est proprie numerus ipse denominator.

Est autem pronuntiatio Minutiarum admodū facilis, quemadmodum & earum repræsentatio, ut $\frac{3}{4}$. sunt tres quartæ. Item $\frac{13}{60}$. sunt tredecim sexagesimæ, unius rei diuisæ in partes sexaginta, inter se æquales. Vel $\frac{3}{4}$ dicitur ternarius diuisus per 4. uel diuisus in partes 4. Vnde $\frac{3}{4}$ est quarta pars ternarij, & sic de alijs.

¶ De Additione & Subtractione Minutiarum.

Denominatores Minutiarum magnam similitudinem habent cum denominationibus numerorum realibus. Vnde cum denominatores Minutiarum addendarum, fuerint inter se æquales (ut hic $\frac{3}{10}$, $\frac{4}{10}$) tunc numeratores ad se adduntur, & denominator communis simpliciter illi aggregato supponitur, ut $\frac{3}{10}$ ad $\frac{4}{10}$. facit $\frac{7}{10}$. Sic 3 gr. ad 4 gr. facit 7 gr. Vide certe, bona similitudine, rationem additionis Minutiarum.

Sic in Subtractione, dum denominatores fuerint inter se æquales, subtrahitur numerator à numeratore, & relicto supponitur denominator communis, ut $\frac{3}{10}$ à $\frac{4}{10}$. manet $\frac{1}{10}$. Item $\frac{3}{10}$ à $\frac{7}{10}$. remanent $\frac{4}{10}$. Sic (ut uideas rationem ex similitudine) 3 gr. à 7 gr. remanent 4 gr. &c.

b

De